



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Ingenii acumen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

dissentos, & quod, nisi quis viderit, credere vix queat, præditos quaternis singulos genitalibus, humanorum digitorum instar & similitudine coherentibus. Ipsa vero Sphinx toto erat pectore glabello, facie & auribus humanis propioribus, dorso hispido supra modum, fusco & oblongo admodum pilo, eoque densissimo. Rectior lævum brachium, quo catenam, cui erat alligata, regebat, ferrea manica obarmatum habebat, dextra baculum gerebat, quem in faciem animalis identidē prætendens, bipedem secum ambulare, & loco etiam saltare, interdum & obgannire faciebat, multamque hinc à spectatoribus stipem aucupabatur.

ARCANA TEGENDA. CAP. XII.

Suet. in eius vita c. 50. Porro Sphinges in Aegyptiorum templis hieroglyphice admonent, mystica dogmata, præceptaque & institutiones sacras, per ænigmatum nodos à profana procul multitudine inviolata custodiri debere, & in arcanis tantum tractari: cuius ergo taciturnitatis effigie, hujus tabellas & literas signare diu delectatus est Octavianus Augustus, quam postea repudiavit usus inde, felicitis ominis causa, Alexandri imagine.

INGENII ACUMEN. CAP. XIII.

Ea vero hæc Palladiæ cupidini subiecta, ut in ea Minervæ statua, quam Athenis olim fuisse erectam ait Plinius ostendit nihil tam abditum & reconditum esse, quod ingenii acumine exeri & palam proferri non possit: ita quidem Sphinges. At qui Cynocephali vocantur, corpore sunt deformi, ferum omnino, uti diximus initio, atque indomitum animal, quod nulla ratione modoque; sævit, supercilio aspectuque sunt horrido & truci, ut genuinam, qua de supra dicebamus, bilem ex facie pollis agnoscere,

DIVINA IN OCCULTO. CAP. XIV.

Sileni quid Ad dentur & Sileni Cynocephalo: sunt enim & hi, ut Pausanias attestatur, ex Satyrorum grege, quos cum ætatis jam provectioris esse cœperint, Silenos appellare consueverunt, quorum hieroglyphicum erat, divinitatem in re quæpiam delitescere. Erant enim Sileni, ut ex Platonicis Alcibiadis dicto colligimus, imagunculæ quædam scitiles, ita concinnatæ, ut deduci & explicari possent, quæ ubi clausæ erant, nihil aliud quam ridiculam & monstruosam quandam tûbicinis speciem ostentabant: ubi vero aperiebantur, venerabile nomen aliquod exerebant. Hinc Alcibiades Symposio, Socratem Silenis similem esse dicit, quod is longe alius esset, interius intuenti, quam summo habitu videretur. Unde etiam *Σιλωσι δὲ λυσιδδδδ* dici solet, de re quæ prima fronte vilis ridicula videatur, interius tamen ac propius contemplanti sit admirabilis.



URINATOR. CAP. XV.

Sedenim, ne reliqua Cynocephali significata prætereamus, per simulacrum ejus urinatorem etiam Dintelligebant, quandoquidem animalia reliqua inter natandum abhorrescere, rugisque strigosa fieri perhibentur: unus Cynocephalus, ut apud Horum est, in quemcunq; locum tranare perrexit, nullo vel squaloris vel horroris indicio fertur enatare, cuius quidem nationis facilitas una cum literarum peritia, quæ potissimum in Cynocephalo discernuntur, eam animali conciliant laudem, quæ doctis & experientibus viris tribuebatur, ut scilicet & literas & natate didicissent: contra vero in ignavos & nullo negotio idoneos, nulliusque disciplinæ aut exercitii participes, Atheniensis dicere solebant, *μητι ενν. μητι ζεαμματα*. neque quidem natate, neque literas, cuius proverbii mentionem facit in legibus Plato, atque etiam Aristides in Apologia quadam. Quod vero hæc liberalia essent studia, apud Tranquillum legimus, Octavianum Augustum nepotes suos & literas & natate, aliaque rudimenta